



O
Samt die Friburgi
Jof 25^o X 15^c:
20285. V. J. g.
Joannes
Keromme de Brusel
polizidab
anno 1769.





DUPLEX CULTUS
S. FRANCISCI
XAVERII
E SOCIETATE JESU
INDIARUM
APOSTOLI
SIVE
NOVEM ac DECEM FERIAE
S. XAVERIO
DICATÆ:
IN GRATIAM
ACADEMICORUM
DE
VITÆ STATU ELIGENDO
DELIBERANTUM.

A decorative horizontal border consisting of two rows of black asterisks (*). The top row has 24 asterisks, and the bottom row has 23 asterisks, creating a symmetrical pattern.

L A B A C I ,
T Y P I S J O A N N I S F R I D E R I C I E G E R ,

-030035816



ACADMICE!

Uterque, qui hic tibi proponitur,
cultus, seu in novem continuos
dies, seu in decem ferias sex-
tas, vel alias hebdomadæ dies
productus, magno Indorum Apo-
stolo gratissimus est. Illum Sanctus
ipse Venarabilem P. Marcellum
Mastrillum docuit: Iustum singula-
ribus, quin & prodigiosis benefi-
ciis frequentissime est remuneratus.
Quacunque tu necessitate premaris,
Academice! seu ubiores in lite-
ris ac pietate progressus facere: seu
pravos vitii cuiuspiam a te contra-
ctos habitus exuere: seu gravioris
valetudinis, egestatis, stygiarum
suggestionum, aut animi anxieta-
tum molestia liberari: seu suscepiti
forte negotii exitum felicem impe-
trare a Sancto desideres, alter-

atro hoc cultu utere, & senties Xaverium tibi propitium. Nobis id bic præcipue propositum, ut deliberanti tibi de vita statu modum suggesteremus, quo decemdialem ad D. Xaverium devotionem, bunc in finem suscipi solitam, cum fructu pariter atque solatio per agas. Boni consule, utere & vale!



M O D U S NOVENNÆ vel DECENNÆ.

1. Prima & ultima die Novennæ: singulis diebus Decennæ magna pietate SS. Sacramenta adi.

2. Solitis precibus Officium, Litanias, &c. de S. Xaverio, 9. vel 10. Pater & Ave, cum totidem Gloria Patri adde.

3. Lege aliquid ex vita S. Xaverii, vel alio libello pio: Passionis Christi mysteria meditare.

4. Singulari modestia ac compositione, domi, in schola & publico utere.

5. In labores scholasticos solito ferventius, purioreque cum intentione incumbe.

6. Post S. Communionem aliquam ex considerationibus annexis expende, & de vitæ statu tecum delibera.

7. Opera pro singulis hebdomadis præscribenda, uti & misericordia, tum spiritualis, tum corporalis exerce.

8. Mortificationes internas, & cum Confessarii venia etiam externas adbibe: reprime inordinatos animi motus: utere flagello, cilicio, &c.

9. In cibo, somno, colloquiis, conversatione, recreatione, moderatissimus esto.

10. Ad imitationem Sancti Xaverii peculiariter cole Christum crucifixum, & Virginem Immaculatam.

11. *Ipsum Sanctum devotius ve-
nerare: expone domi ejusdem ico-
nem, orna floribus, in templo
diutius, sine dispendo tamen or-
dinis scolastici ad aram illius
adesto &c.*

12. *Singulis diebus aliud ex
Angelorum Choris invoca. 1.) An-
gelos. 2.) Archangelos. 3.) Prin-
cipatus. 4.) Potestates. 5.) Vir-
tutes. 6.) Dominationes. 7.)
Thronos. 8.) Cherubinos. 9.) Se-
raphinos. 10.) Reginam Ange-
lorum cum Genio tuo Tutelari.*

*Conare denique toto hoc tempore
pie religioseque vivere: a minimis
naevis abstinere: exercitia spiri-
tualia & scolastica accurate per-
agere: singularem in templo præ-
ferre modestiam, maxime cum
ad S. Communionem accedis, aut
Minister ad aras assistis: Virtu-
tes probo Academico dignas ex-
ercere ad imitationem & honorem
S. Francisci Xaverii.*

INTENTIO

Quovis Devotionis die renovanda.

OMnipotens, sempiterne D E U S !
ad majorem tui nominis gloriam,
in memoriam & venerationem Christi
Crucifixi, Immaculatæ ejusdem Ma-
tris, SS. Angelorum & D. Francisci
Xaverii offero tibi hanc devotionem
meam.

In gratiarum actionem pro innume-
ris beneficiis per intercessionem magni
Indorum Apostoli in me & alios con-
gestis, præsertim N.N.

Ad impetrandam per merita hujus
Sancti gratiam (*bic adde, quam a San-
cto petis, v. g. proficiendi in literis, emen-
dandi hunc defectum, liberationis ab hoc
malo, agnoscendi vita statum, recupe-
randi valetudinem &c.*) præsertim au-
tem, TE DEUM sumum bonum
amandi super omnia, declinandi a vi-
tiis, & tibi soli per accuratam man-
datorum observantiam ad finem usque
vitæ meæ quam ferventissime serviendi.

Respice, quæso, Domine ! in sanguinem Filii tui, preces ac merita Virgi-
neæ Matris, & D. Francisci Xaverii !
Annuere clementer desideriis meis, si ea
cedant ad gloriam Tuam, & animæ
meæ salutem, Amen.

Q.F.



OFFICIUM

A D M A T U T I N U M.

¶. Domine labia mea aperies, &c.
¶. DEUS in adjutorium meum, &c.

H Y M N U S.

SAlve Domus Xaveriæ, augustior co-
rona
Francisce quem tot gloriæ, cœloque
tanta dona
Insigniunt, quem Trinitas, quem Ja-
pon, Indus orbis,
Quem Trina adornat Unitas, pulsis tot
orbe morbis.

Antiph. Ecce dedi te in lucem gen-
tium, ut sis salus mea usque ad extre-
mum terræ. *Isaiæ 40.*

¶. Mihi autem nimis honorati sunt ami-
ci tui DEUS.

¶. Nimis confortatus est principatus
eorum. *Psal. 138.*

O R E M U S.

DEUS, qui Indianum gentes Beati
Francisci prædicatione, & mira-
culis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti;
concede propitius, ut cuius gloria me-
rita veneramur, virtutum quoque imi-
temur exempla. Per Dominum no-
strum, &c.

AD

AD PRIMAM.

¶. DEUS in adjutorium , &c.

HYMNUS.

Salve salus Travancoris , Doctorque
parvolorum !

Exorta lampas Brasilis , ductorque bar.
barorum !

Illis legetas Virgine de Matre lectio.
nes ,

His de DEO in corpore cruento sectio.
nes .

Antiph. Si decem millia Prædagogo.
gorum habeatis , sed non multos Pa.
tres , quia per Evangelium ego vos ge.
nui. I. ad Cor. 4.

¶. Omnibus omnia factus sum.

¶. Ut omnes facerem salvos. I. Cor. 9.

Oremus.

DEUS , qui Indiarum gentes , &c.

AD TERTIAM.

¶. DEUS in adjutorium &c.

HYMNUS.

Salve , cui nec barbarus , hostis su.
perbus armis ,

Nec ipse par est Tartarus , clarus tot
orbe parmis ,

Te namque Bungus prædicat , Malaca
te parentem

Agnoscit, & deprædicat Xaverium potentem.

Antiph. Si contra DEUM fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? *Gen. 22.*

¶. Cumque levaret Moyses manus.

¶. Vincebat Israel. Exod. 17.

Oremus.

DEUS, qui Indiarum gentes, &c.

AD SEXTAM.

¶. DEUS in adjutorium &c.

H Y M N U S.

SAlve, sacri Baptismatis, qui sic lavas ab undis
Mauros, ut atri stigmatis hos liberes
ab umbris.

Decies centena millia, Francisce, te
sequuntur,

**Quæ, si putantur vilia: majora subse-
quentur.**

Antiph. Effundam super vos aquam
mundain, & mundabimini ab omnibus
inquinamentis vestris. *Ezech. 36.*

¶. Millia millium ministrabant ei.

**¶. Et decies centena millia affluebant
ei. *Dan. 7.***

Oremus.

DEUS, qui Indiarum gentes, &c.

AD

AD NONAM.

v. DEUS in adjutorium, &c.

HYMNUS.

SAlve, cui mors horrida non ante
fata struxit,

Quam, quos in antra torrida abduxerat,
reduxit.

Vicena namque funera, & quinque suscitasti,

Mortemque post tot vulnera in temet
incitasti.

Antiph. Joannes Baptista resurrexit
a mortuis, & propterea virtutes operantur in illo. *Marc.* 6.

v. Dii facti similes hominibus descendenterunt ad nos. *Actor.* 14.

v. Ex resurrectione mortuorum, lumen annunciantes populo, & gentibus.
Acto. 26.

Oremus.

DEUS, qui Indiarum gentes, &c.

AD VESPERAS.

v. DEUS in adjutorium, &c.

HYMNUS.

Francisce! magne Numinis, & proximorum amator,

Francisce! veri luminis in orbe seminator,

Salve, cui dum Patria angustiora ca-
stra.

Describeret, tunc atria dat Numen
inter astra.

Antiph. Scimus, quoniam si terre-
stris domus nostra hujus habitatio-
nis dissolvatur, quod ædificationem ex
DEO habemus, domum non manu fa-
ctam. æternam in cœlis. 2. Cor. 5.

¶. Pretiosa in conspectu Domini,

¶. Mors Sanctorum ejus.

Oremus,

DEUS, qui Indiarum gentes, &c.

AD COMPLETORIUM.

¶. Converte nos **DEUS** &c.

¶. **DEUS** in adjutorium, &c.

HYMNUS.

Francisce! nec labecula putredinis
note,
Post fata nec nubecula palloris inqui-

nate,

Salve, tuoque lumine sic indias sere-
na,

Europa vero Nume ut sit, **DEO**que
plena.

Antiph. Qui ad justitiam erudiunt
multos, fulgebunt quasi stellæ in per-
petuas æternitates. *Dan.* 12.

V. Quoniam non derelinques animam
meam in inferno.

V. Nec dabis Sanctum tuum videre
corruptionem. *Psalm.* 15.

Oremus.

DEUS, qui Indiarum gentes, &c.

COMMENDATIO.

HÆc Indiarum Apostolo, hæc vota
Thaumaturgo
Japoniorum Apostolo dicata amoris
ergo.

Ergo tuis compendiis, sic per via sa-
lebras,

Et sic tuis stipendiis, me duc per has
latebras,

Ut, ceu tuis ab ignibus, calente cor-
de, mundum

Contemno, sic insignibus vitem tuis
profundum;

Dicamque tecum: O amplius! Domine
amplius dolores!

Dicamque tecum crebrius: Satis est,
satis favores.

LITANIAE
AD SANCTUM
FRANCISCUM
XAVERIUM.

Kyrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cœlis DEUS, Miserere nob.

Fili Redemptor mundi DEUS, Miserere nobis.

Spiritus Sancte DEUS, Miserere nob.

Sancta Trinitas unus DEUS, Miserere nobis.

Sancta MARIA, Ora pro nobis.

Sancta DEI Genitrix, Ora pro nobis.

Sancta Virgo, Virginum,

Sancte Pater Ignati,

Sancte Francisci Xaveri, dignissime, & dilectissime Fili S.P.Ignatii,

S. Francisci Xaveri, Indiarum Apostole,

S. Francisci Xaveri, evangelizans pacem,

S. Francisci Xaveri, evangelizans bona,

Vas electionis, portans Nomen IESU coram Gentibus.

Vas redundans divinæ Charitatis,

Fir-

O
R
A
P
O
N
G
S

Firmamentum Orientis Ecclesiæ, Ora
pro nobis.

Propugnator Fidei,

Impugnator infidelitatis.

Prædicator Evangelicæ Veritatis,

Idololorum destructor,

Electum a Patre æterno instrumentum propagandæ divinæ gloriæ,

Fidelis imitator, & socie JESU Christi Filii DEI,

Tuba resonans S. Spiritus,

Columna Templi DEI,

Lux Paganorum,

Magister credentium,

Speculum veræ pietatis.

Dux in via virtutum, & Christianæ perfectionis,

Exemplar Apostolici spiritus & sanctitatis,

Lumen cæcorum,

Pes claudorum,

Auxilium naufragantium,

Salus ægrotantium,

Fugator Dæmonum,

Vita mortuorum.

Cujus potestati obediunt mare, & tempestates,

Cujus imperia venerantur cuncta elementa,

Prodigiorum Thaumaturge,

Ora
pro
nobis.

Re-

Refugium miserorum, Ora pro nobis.
Gaudium afflictorum,
Orientis splendor,
Pignus resurrectionis ad vitam gra-
tiæ & gloriæ,
Tabernaculum incorruptionis,
Ærarium divini amoris.
Gloria Societatis JESU,
Legate Apostolicæ Romanæ Sedis,
Pauperrime Xaveri,
Castissime Xaveri,
Humillime Xaveri,
Crucis Christi, ac laborum pro
Christo cupidissime Xaveri.
In salutem proximi vigilantissime
Xaveri,
Suavissime Xaveri,
Gloriosissime Xaveri,
Animarum & divini honoris Ze-
lator ardentissime,
Angele moribus, & vita,
Patriarcha affectu & studio curan-
di populum DEI,
Propheta dono, & spiritu,
Apostole dignitate, & merito,
Doctor gentium potens in multifario
sermone, & opere,
Confessor virtute, & vitae profes-
sione,
Virgo animo, & corpore,

Ora
pro
nobis.

In

In quo uno aliorum Sanctorum merita
ex divina benignitate veneramur,
Ora pro nobis.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.

Christe audi nos, &c.

Pater noster, &c.

V. Et ne nos inducas in temptationem.

R. Sed libera nos a malo.

V. Ora pro nobis S. Francisci Xaveri.

V. Ut digni efficiamur promissionibus
Christi.

Oremus.

DEUS, qui Indiarum gentes beati Francisci prædicatione, & miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti, concede propitius, ut cuius gloriofa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum nostrum, &c.

Commemoratio ad S. P. Ignatium.

Antiph. Constitui te hodie super gentes & regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes, *Jerem. I.*

V.

v. Inveni Filium Jesse virum secundum
cor meum.

w. Qui fecit omnes voluntates meas.
Actio. 13.

Oremus.

DEUS, qui ad majorem tui nominis
gloriam propagandam, novo per
Beatum Ignatium subfido militantem
Ecclesiam roboraſti, concede, ut ejus
auxilio, & immitatione certantes in
terris, coronari cum ipſo mereamur in
cœlis. Qui vivis, & regnas, &c.

ORATIO.

Pro eligendo vitæ statu, singu-
lis diebus Communionis, aut
quotie iteranda.

OMnipotens, æterne DEUS! qui me
ad imaginem & similitudinem tuam
ex nihilo condidisti, ut te reverear, lau-
dem, tibique in eo vitæ statu serviam,
in quo certo salvus fiam; Da mihi se-
dium tuarum assistricem sapientiam, mit-
te illam de sedibus sanctis tuis, & a se-
de magnitudinis tuae, ut mecum sit, &
meum laboret, ut sciam, quid accep-
tum sit ante te. Scit enim illa omnia,
& intelligit: & deducet me in operibus
meis

meis sobrie. Quis enim hominum poterit scire consilium DEI? aut quis poterit cogitare, quid velit DEUS? Cogitationes enim mortalium timidae, & incertae providentiae nostrae. Difficile aestimamus, quæ in terra sunt; & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis investigabit? sensum autem tuum, quis sciet? nisi tu deris sapientiam, & miseris Spiritum Sanctum tuum de ultissimis: & sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt interris, & quæ tibi placent, didicerint homines. Sap. 9. Concede proinde mihi misericors DEUS, quæ tibi placita sunt, ardeenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, & perfecte adimplere; ad laudem & gloriam tui ordina statum meum, & quod a me requiris, ut faciam, tribue, ut sciam. Et da exequi, sicut oportet & expedit animæ meæ.

ORATIO.

Ad boni consilii Matrem.

O Sanctissima, & humani generis amantissima Virgo! in cuius tutela & protectione omnem post DEUM salutis meæ spem collocavi; tu nosti intima cordis mei: scis, quod a primo ratio-

tionis usum mecum creverit, & adolevit filialis erga te fiducia; cui etiamnam innixus tot inter salutis pericula, velut parvulus ad finum Matris confugio! Recordare, ô pia! ô dulcis Mater! quoties animam meam, ejusque salutem æternam tibi commendaverim nunc, cum de statu vitæ diligendo delibero, tuos misericordes oculos ad me converte; huc, illucve titubantem gressum dirige; in hac caligine versanti lumen accende, quo illustratus DEI, unigeniti Filii tui, tuamque circa me voluntatem agnoscere, ac eum vitæ statum, in quo ille me salvandum prævidit, eligere, ac consequi possum. En ego me in tuam, Filiique tui manum, & sanctissimam voluntatem ex toto corde resigno, fiat de me, & in me, & circa me voluntas vestra, sicut in cœlo & in terra,

ORATIO

Ad Sanctum Angelum Custodem.

O Sancte Angele DEI, mei amantisime! cui me, cursumque peregrinationis meæ divina bonitas commisit, tuo instinctu statum, in quo me DEUS salvare decrevit, agnoscere, & amplecti statuo, quia tamen in negotio hoc tam

tam arduo viribus meis diffido; tibi me,
meamque deliberationem ex toto com-
mitto. Tu me dirige, ac Coangelo-
rum tuorum pro me affectum, & opem
impetra, qui custodes sunt eorum, qui-
bus me in deliberatione facienda tradidi,
ut horum ductu securus ad metam pe-
regrinationis meæ pervenire valeam.

ORATIO

Ad SS. Ignatium & Xaverium.

O Magni animarum Directores, & spi-
ritum Discretores SS. Ignati & Xa-
veri! qui directione & intercessione ve-
stra innumeris cœli semitam ostendistis;
videtis me de statu vitæ eligendo solli-
citum, ideo ardentiſimum vestrum ani-
mas salvandi zelum imploro, ut in hoc
maximo æternitatis beatæ negotio, au-
xilio consilioque vestro, ac apud DEUM
intercessione mihi assistatis, quatenus
eum vitæ statum eligam, & obtineam,
qui fit ad DEI Domini nostri gloriam,
proximi aedificationem, & animæ meæ
salutem, quam unice desidero, mihi uti-
lissimus. Quid enim prodest homini, si
universum mundum lucretur, animæ
vero suæ detrimentum patiatur.

Adde Pater & Ave.

A C T U S V I R T U T U M
T H E O L O G I C A R U M.

Actus Fidei.

Credo in Deum vivum, & verum,
trinum, & unum, Creatorem, Re-
demptorem, & Sanctificatorem meum,
Remuneratorem bonorum, & Vindicem
malorum omnium. Credo, & confiteor
fidem illam Sanctissimam, quam JESUS
Christus docuit, quam Apostoli prædi-
carunt. quam Sancta ana tenet Ec-
clesia. Et in hac San e potestor me
vivere, & mori velie, quia tu DEUS
summe verax, & sapiens illam revela-
sti, qui es prima, & infallibilis veritas.

S p e i.

Spero in misericordia tua infinita, o
DEUS auxiliator unice, & poten-
tissime corporis, & animæ meæ! & in
pretiosissimo sanguine JESU Christi Sal-
vatoris mei, quod remissurus mihi sis
omnia, & singula peccata totius vitæ
meæ, & datus vitam æternam; quia
promisisti, & es omnipotens, ac fidelis
in adimplendis promissis tuis,

Chas-

Charitatis.

AMo te mi DEUS! propter te ipsum, & summam tuam bonitatem, propter quam dignissimus es amari super omnia. Utinam te possem amare omni illo ardentissimo amore, quo te amant, & in æternum amabunt omnes Angeli, & Beati in cœlo, cum quorum amore conjungo imperfectum amorem meum.

Contritionis, & Propositi.

EX hoc purissimo tui amore, vehementer doleo, quod te amantissimum DEUM meum unquam offendebim. Abominor, detestor, execror, & retracto omnia, & singula peccata totius vitæ meæ; non solum ideo, quia a te justissimo peccatorum vindice puniri promeritus sum, sed vel maxime ideo, quia te summum bonum offendere. Utinam facere possem, ut nunquam te offendisse! Malo deinceps pati adversa, omnia, & etiam mori, quam te, o amantissime DEUS! ullo peccato, præsertim gravi, offendere.

Desiderii suscipiendi Sacramenti.

DEsidero mi DEUS! ad te finem ultimum meum pervenire, teque æter-

æternum frui; & idcirco firmiter statuo cum tua gratia me fæpius velle pie suscipere Sanctissima Sacra menta pœnitentiæ & Eucharistiæ, idque præcipue in hora mortis meæ: quod ut fiat, oro te per vulnera, & sanguinem Domini nostri JEsu Christi, Amen.

N.B. Benedictus XIII. 1728. 15. Januarii elicientibus hos actus concessit 7. annorum indulgentias; elientibus vero quotidie per mensem, ac semel accedentibus ad Sacram confessionem, & Communionem, concessit indulgentias plenarias pro quovis mense, & pro hora mortis.



P R A X I S

Ad recte instituendam de vitæ statu eligendo deliberationem utilis & necessaria

M O N I T U M I.

Deliberans Divinum imploret auxilium.

I. **C**UM deliberandum sit diu, quod statuendum est semel, pro hac deliberatione sanctius facienda devotiones variæ instituantur juxta consilium

filium Confessarii v. g. ad Beatam Virginem, S. Angelum Custodem, SS. Ignatium, Xaverium, Aloysium, aliosque SS. Patronos.

2. Et quia DEUS est, qui *operatur omnia in omnibus, dividens singulis prout vult.* I. Cor. 12. Spiritus Sancti gratia toto hujus deliberationis tempore frequenter æque ac freventer erit petenda.

3. Quia vero *in malevolam animam non introibit spiritus sapientiae, nec habitabit in corpore subdito peccatis,* puritatem conscientiae conservare oportebit, ne unquam graviori noxa anima lædatur, ad quam conservandam frequens eris in sacro tribunali, & in sumenda Sanctissima Eucharistia; utraque proderit ad augmentum gratiae divinæ, ac superni luminis, pro quo agimus, impetrationem,

4. Diebus Sacræ Communionis una ex considerationibus infra positis assumenda erit, quæ deliberanti suggeret materiam, circa quam versari debet deliberatio. Determinandum proinde tempus aliquod ab aliis occupationibus vacuum, in quo consideratio recollecta mente legatur, & ruminetur. Nec dubitandum, quin DEUS sit ei ad cor locuturus, suamque,

quis eligendus sit vitæ status, voluntatem significaturus.

5. Deliberanti laborandum erit divinam voluntatem, & status sui agnitionem per bona opera impetrare. Quæ autem & qualia suscipienda cuivis in particulari sint, ejus fervori ac Confessarii directioni committendum. Illud omnibus commune esse debet, ut opera ordinaria, & alias consueta pietatis officia, preces matutinæ & vespertinæ cum quotidiano examine conscientiæ, auditio Missæ, Corollæ marianæ, aliarum Orationum recitatio, libri spiritualis lectio, cultus SS. Patronorum, usitatæque mortificationes non solum non omittantur, sed fiant cum omni diligentia in Domino.

MONITUM II.

Deliberans eligat prudentem Directorem.

OMNIBUS suadetur, ut habeant constantem animæ suæ arbitrum, & in via spirituali directorem, qui in deliberatione bene peragenda maxime necessarius est; via hæc plurimis subjecta erroribus sine tali duce vix rite peragetur, sic licet Christus Saulum ad Apostolatum

vocasset, jussit tamen, ut Ananiam adiret, a quo intellecturus esset, quid eum facere oporteret?

Sicut navis in procelloso mari non alteri quam perito navarcho tuto committitur, ita quo animarum tractandarum peritiorem elegeris directorem, tanto securius deliberatio tua procedet. Certum est enim, quod non omnes Confessarii parem spirituum discretionem habeant; proinde si sapis, animam tuam tali committe, qualem Spiritus Sanctus suadet: *Consiliarius tibi sit unus de mille* Eccli. 6. Electio directori deliberationis faciendæ intentionem aperiat, directionem petat, ejus se precibus commendet, ac vicissim DEUM oret, ut suam sanctam voluntatem per hoc instrumentum significare dignetur.

Promittat ei sinceritatem & filialem confidentiam in rebus ad animæ negotium pertinentibus, uti etiam fidelem eorum observantiam, quæcunque suaserit. Conscientia erit directori penitus aperta; quanto enim deliberantem intimius noverit, tanto facilius diriget; unde valde consultum, ut is apud directorem generalem de tota vita confessionem deponat.

Quia vero status electio etiam ab aliis
circumstantiis pendet: v. g. cuius genii,
ingenii, valetudinis, virium, propen-
sionis &c. deliberans sit, expedit de his
pariter duci suo notitiam dare, nisi eam
prius habuerit.

Hæc cum in facro tribunali tractari
non possint, adeundus per vices erit
director, ex quo deliberans facile in-
telligat, quo loco aut tempore id com-
modius fieri possit. Suadetur etiam,
ut deliberans Confessario facultatem tri-
buat, ut in ordine ad faciliorem me-
lioremque directionem etiam notitia per
confessiones accepta uti possint, in con-
siliis sibi extra confessionem dandis.

Ab eodem directore consilium petat,
quas mortificationes, preces, aliaque
pia opera peragere possit, ut ex his ipsis
operibus ob hunc demissionis actum,
quo suum alieno subjicit, majus meritum
habeat.

Sine directoris judicio deliberationem
non concludat, minus circa hanc vel
etiam aliam rem votum emittat. Ne
plurium sed unius tantum directioni ani-
mam suam committat; plures medici
plus obsunt infirmo, quam profint,

Considerationes a Deliberante
diebus maxime Communionis
attente perpendendæ.

CONSIDERATIO I.

Vocatio debet esse a DEO.

I **D**EUS ex pura sua bonitate, & in te amore creavit te, & ideo te creavit, ut ad cœlum pervenires: *Ille vult omnes salvos fieri* 1. Tim. 2. Hoc, quantum ex parte sua est, intendit quidem efficaciter, sub conditione tamen: si homo eum vitæ statum, quem ipse unicuique ad salutem designavit, elegerit; si secus faciat, optima hæc DEI voluntas non adimplebitur, Quis vero ille status sit? quem DEUS unicuique constituit, in quo salvandus vere sit, nemo hominum assequi potest, sed est arcanum DEO reservatum: *Domini est dirigere gressum* Prov. 5. Ignotum autem hunc statum DEUS esse voluit, ut ejus dominium semper agnosceremus, ac *salutem nostram in timore, & tremore operemur* Phil. 2. Rogari vult magnus hic dominus, ut suam nobis voluntat-

tem aperiat, vult, ut cum Propheta clamemus: *Loquere domine! quia audit servus tuus;* vult, ut gloriari possimus: *Dominus solus Dux meus fuit Deut. 12.* Hæc illa est polaris stella, quam in hoc procelloso vitæ mari fluctuantes si respiciant, secure ad portum felicis æternitatis cursum promovent. Vide, mi Adolescens! quanti quamque folliciti plenum momenti negotium sit vitæ status electio; huc itaque spes, huc preces dirigendæ.

2. Qui hanc circa se DEI voluntatem scire optat, innocens vivat; nam *DEUS peccatores non audit* Luc. 18. Quis prudenter a DEO lumen ac donum vocationis sperare possit, si ejus offensam non curet? Optima ad DEI voluntatem intelligendam via est, vita immaculata: per hanc, qui se filium DEI constituit, hujus *DEUS indubitate curam geret*, eamque maiorem, quam pater ullus aut mater unigeniti sui curam gerere possit. Tali non obscure vocationem intimabit; diriget vias ejus: *Justum enim, deduxit Dominus per vias rechas, & ostendit ei regnum DEI.* Qui vitam dicit innocentem, nihil dubitet, quin divinam circa se agnitus sit voluntatem; ut in charta nec-

dum

dum sordidata facilius est scribere, ita
in corde nullis adhuc gravioris delicti
sordibus inquinato promptius Spiritus
S. sensa sua inscribere consuevit.

3. Motivum, quo deliberantis ani-
mus huc vel illuc flecti debet, DEUS
esse debet; creatus est homo propter
DEUM, ut non erret, pariter vocari
debet a DEO, id est, ad DEUM ten-
dere propter DEUM. *Omnia enim*
propter semetipsum operatus est Dominus.
Heu quam procul, quam toto cœlo
errat, qui in deliberatione carnem &
sanguinem, parentes, & cognatos, aut
amorem proprium, non DEUM quæ-
rit. Fatuos ignes sectatur, quisquis
causas attendit temporales, in avia &
devia abripietur. Anima tua æterna
cum sit, nisi æternis nitatur causis,
quietem non inveniet; DEUS solus de-
bet esse centrum nostrum. Vide Ado-
lescens! quam caute procedendum, ne
gemere sero cogaris: *Ergo aberravimus*
in via veritatis Sap. 5. frustra pacem
in ullo statu inveniemus, nisi DEUM
quæramus: *inquietum est cor nostrum,*
dicit S. Angustinus, *nisi requiescat in*
te, imo non solum pacem animi non
inveniemus, sed cruces inumeras, per-
petuam amaritudinem, id est infernum.

ante infernum experiemur. Dic itaque cum S. Iguatio :

Affectus.

Suscipe Domine universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem, quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo. & tuæ profus trado voluntati gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua, vocationem meam manifestante, mihi dones, & dives sum satis, nec quidquam ultra posco. Avarus sim, si tu mi DEUS ! mihi non sufficis; quidquid quæro, aut desidero, tu solus es. DEUS meus mihi omnia ! modo te illuminante sciam, quid placitum sit ante te Domine ! quid me vis facere ? cæcus ego sum, da Domine ! ut videam.

CONSIDERATIO II.

*D*eliberans indifferens sit, est necesse.

CUm vocatio nostra à DEI nutu & arbitrio pendeat, hoc ut certius assequamur, necesse omnino est, ut deli-

deliberationis voluntas nullam in partem inclinata, sit prorsus indifferens, & bilancis instar, neque ad unam, neque ad alteram partem plus propendeat, ad id solummodo eligendum, & exequendum parata, quidquid intellexerit DEUM velle. Qui seu inclinatione levavi, seu parentum imperio jam determinatus esset, is tentare potius DEUM, quam deliberare videtur. Constituit quidem DEUS varietatem statuum, sed non quilibet cœco impetu est appetibilis, verum prout ad ultimum finem, id est, cælum obtinendum proficuus esse possit. Status isti tam varii secundum se indifferentes sunt, nec boni, nec mali, ideo ad eorum usum indifferentes nos esse opotet; non secus ac viator ad quamcunque semitam terrendam paratus est, seu dura sit, seu mollis, modo ad terminum deducat. Viatores sumus, ad Patriam tendimus; nullus proinde status propter se, verum ille præ aliis appendens, qui nos certius in patriam deducet. Et licet ex tot statibus unus altero melior & perfectior appareat, non sequitur, quod illum continuo sine speciali DEI ductu eligere possimus; illud expendendum, non quis status ratione sui, sed quis

ratione deliberantis melior & accommodatior sit; alias facile fieret, ut importabilia quis, & viribus suis majora in humeros assumeret: sicut æger sanari volens non eam illico medicinam sumit, quæ in se pretiosior, sed quam malo, quod patitur, magis aptam esse intelligit.

2. Frustra nitimur contra torrentem: frustra beneplacitum nostrum divino præferre contendimus. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur Matth. 15.* Frustra parat Jonas fugere in Tharsis, quem DEUS in Ninive destinavit. Frustra Paulus parat ire in Damascum, ut Ecclesiam persequatur, quem DEUS Jerosolymas ire, ac gentium doctorem constituit. Non sperandus est successus, ubi contra, vel præter DEI nutum status assumitur. Nisi DEUS vocationis tuæ principium sit & finis, adire illum DEO permittente poteris, sed in ruinam & præcipitum tuum, idque & temporale & æternum. Ille Dominus est, nos servi; Creator ille, nos creatura. Si de opere a se facto pro libitu disponit artifex, quanto magis nos, qui opus manuum DEI sumus, ejus, qui creavit nos, placito permettere debemus.

mus. Absit a te Adolescens! ut tuam
secesseris voluntate. Pessimus manu-
ductor est voluntas propria. dicit ad
interitum, cæca est. *Cesset voluntas
propria, & infernus non erit* S. Augu-
stinus.

3. Quisquis in electione status suo
sensu ducitur, aut humanis nititur con-
siliis & respectibus, animi quietem
non habebit, jure semper dubius, quem
talis electio sit finem sortitura? præ-
terquam enim, quod nemo in sua causa
possit esse judex, quot non sub placi-
do etiam mari latent pericula, quot tri-
stissimi plane casus nos expectant? quos
cum mens humana videre non possit,
quam misere nos ipsi præcipitamus, si
os Domini non consulimus. Hinc multi
homines lamentorum pleni, dum statu
suo non contenti vetera damnant con-
silia; inanes inter querelas vitam tra-
hunt, semper afflitti; bis miseri, quod
& hic omni solatio privati sint, & in
aperto insuper salutis periculo versen-
tur. Proinde, mi Adolescens! illum
solum in electione tua tu sequere, qui
solus novit, tibi quid expediat ad sa-
lutem.

Affectus.

Domine DEUS! tu solus es, qui nosti, quid mihi tam in tempore, quam æternitate certo sit profuturum. Tu solus es, cui tuto me totum confidere possim; nemo hac in re bonus, nisi solus DEUS; mendaces filii hominum. Tu solus es, cui electionis a me bene vel male factæ rationem redditurus sum. Tu solus, qui salvare potes animam meam; in te proinde solum conjicio oculos meos, ad te solum spem meam dirigo, me totum Voluntati tuæ plene resigno. Paratum cor meum DEUS, paratum ad faciendas justifications tuas.

CONSIDERATIO III.

Deliberans in electione curam animæ habeat.

I **Q**uantum pretii sit, o Adolescens! anima tua, facile percipies, si perpenderis, quanti eam Christus fecerit? pro qua non terram, non hominem, non mundum, sed plus his, nempe summi infiniti pretii sanguinem & vitam dedit; hujus proinde animæ tan-

to pretio redemptæ saluti reliqua omnia posthabenda. Si opibus abundes, emineas, dignitatibus, delitiis disfluas, quid hæc tibi omissa, & quamdiu professest? si cum his anima tua in salutis discrimine versaretur. Hæc prima deliberanti sit tessera: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur.* Matth 6. Jacturam rei pati, tolerabile est, errare in negotio, veniam meretur; ast error ille, qui animæ ruinam concernit, nec revocari, nec ullo unquam conatu, vel impendiis ullis corrigi potest. O Adolescens! si animæ tuæ pulchritudinem, immortalitatem, premium agnosceres, quanta cura ejus salutem in tuto locare satageres: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua.* Attende itaque, quid eligas? si sapis, illud ellige, quod animæ tuæ vi-des esse consultissimum.

2. Non frivolam illam cognitionem in animum admitte: *In quolibet status possum salvari:* posse salvari, & certe salvum fieri, heu quantum distant? nullus est in inferno, qui non potuisset salvari, suntne tamen salvati? Hocci-ne foret animam tuam curare, si ejus salutem casui, fortuito eventui com-

mitteres? cum in tua sit potestate ean-
dem in tuiori collocare. Si plures ti-
bi animæ forent, amissa una, eis et forte
ignaviæ tuæ venia danda, nunc vero, cum
unica sit, cum tua sit, cum in ejus
felicitate tuum bonum æternum sit, nisi
eam securissimam reddas, ne tu homi-
num non tantum iguavissimus, sed in-
sanissimus es. Ejus salus e manibus tuis,
& negotiatione repetetur: tibi dicetur:
Redde rationem villicationis tuae. Do-
mus, quam incolis, non est tua; pe-
cunia, quam possides, non est tua, nec
vestis, quam gestas, est tua; anima so-
la tua est: illa omnia te deserent, ni-
hil eorum te sequetur ad æternitatem,
præter animam; hujus proinde Ado-
lescens principem curam gere.

3. O quantam homines corporis sui
curam gerunt? quam solliciti, ut huic
nihil desit, quam providi, ut ab in-
commodis omnibus, taceo periculis,
præservetur; in ejus valetudinem pro-
funduntur opes, in sustentationem ex-
penditur omnis substantia: & nunquid
anima plus est, quam corpus? illa est
portio quædam divinitatis, hoc terra &
lutum? illa est SS. Trinitatis imago,
hoc brutalibus obnoxium cupiditati-
bus; immortalis illa est, & cum DEO

in æternum duratura , hoc proximum corruptioni ; & ubi cognitiones nostræ, ubi consilia ? ubi corpus pasci possit, attendimus , animæ securitatem minus expendimus. Vide , Adolescens ! qualis amentia ? statum eligere , ut vivere possis, nec curare , ut bene vivere possis.

Affectus.

DEUS , qui animam meam ad imaginem tuam creasti ! tibi pro hoc thesauro tam pretioso gratias ago immortales ; quia tamen hanc animam meam , id est imaginem tuam , & pretiosissimi sanguinis tui pretium e manibus meis repetes , si eam , quod absit , perderem. Da proinde Domine ! ut animæ meæ dignitatem intelligere, pretium æstimare, ac eam illius curam habere possim, ut ad beatissimam tui visionem aliquando venire mereatur. Sit anima mea in manibus, in oculis meis semper, sit vero maxime nunc, ut eum vitæ statum eligam, per quem æternum bene sit animæ meæ.

CON-

CONSIDERATIO IV.

Deliberans in electione status mortis sit memor.

¶ **E**st inevitabile DEI decretum, quo statutum est omnibus hominibus semel mori Heb. 9. Ex hac certitudine sequi debet haec conclusio: ergo & tu, mi Adolescens! *Dispone domui tuae,* quia morieris 4. Reg. 20. Nunc cum de statu vitae deliberas, ita de domo, id est, corpore & anima tua dispone, ut bene, facile, secure, moriaris. In morte primum optare, in quo statu voluisses vivere, cum desinendum est vivere, serum nimis est. Nunc igitur oculos aperi, perpende, quid sit mors? a rebus nempe oīnnibus separatio: separaberis a parentibus, cognatis, amicis, notis; nihil hi omnes te juvare, nec momentum adjicere vitae tuae poterunt, imo nauseabunt ægrum, fugient graveolentem, & mortuum sepulchro inferre properabunt. Vide, quid proderit eum, quem hi suadent statum eligere. Quid si mors esset repentina? quod tam facile deliberanti evenire potest, quam certum est eam quotidie plurimis obtingere credisne

tu in quovis te statu salvari posse , licet repente moriaris ? non credo te ita præsidentem fore : eum proinde præ reliquis statum elige , in quo etiam in morte improvisa securior esse queas de salute .

2. Omnem quidem eadem lex mortis tangit , sed heu ! quam dispar est conditio mortem obeuntium ! horreo cogitare : quam dura , quam infelix eorum mors futura sit , qui sui & DEI obliiti , vitam suam vanitatibus & sceleribus addixerunt . *Væ vobis ! viri impii , qui dereliquistis legem Domini Eccl.* 41. *Si mortui fueritis , in maledictione erit pars vestra .* Quam læta vero , quam tranquilla erit mors eorum , qui eam vitæ semitam mature elegerunt , in qua non solum DEI legem servarunt , sed & multa bona opera morti præmiserunt . *Timenti Dominum bene erit in extremis , & in die defunctionis sue benedicetur Eccl. 1.* Nunc mi Adole-scens ! dum deliberas , in manu tua positum crede , nimirum mortem peccatorum pessimam Psalm. 25. an pretiosam in conpesta Domini mortem Sanctorum eius Psalm. 115. eligas . Qualis vita , mors est ita .

3 Perpende jam , in quo statu tibi
mors beatior obtingere possit; von vero,
velim tibi persuadeas , te nisi religio-
nem ingrediaris , feliciter mori non pos-
se: si enim vere a DEO ad statum sæ-
cularem vocatus es , medias inter mun-
di procellas ad semitam felicis æterni-
tatis securus pervenies ; econtrario ve-
ro si vocantem ad religionem DEUM
renuisti , ne mortem speres beatam &
tranquillam. His perpensis fac ea ,
quæ moriens facta fuisse voles : elige
tanquam moriturus.

Affectus.

DOmine vitæ ac mortis! tuo be-
neficio vitam hanc debo , quam
tamen ad nutum tuum restituere de-
bebo ; quando autem , & quo mortis
genere id præstare cogar ? in tuo stat
arbitrio. Tu es Dominus meus ! fiat
de me , de vita , & morte mea volun-
tas tua. Hanc in contestationem do-
minii tui , & subjectionis meæ , de ma-
nu tua , quandocunque libuerit , li-
benter acceptabo. Unum hoc per boni-
tatem tuam suppliciter rogo , ut mor-
riatur anima mea morte Justorum !
Psalm, 23. quia vero hæc ab electione
vitæ

vitæ maxime pendet, dirige consilia mea, ut eum mihi statum eligam, in quo felicem mortem obtineam, & post hujus miseræ vitæ peregrinationem requiescam in pace.

CONSIDERATIO V.

Deliberans de extremo Judicio cogitet.

I **E**T post hoc Judicium: Heb. 9. Post mortem severissima de omnibus totius vitæ momentis, de actionibus etiam minimis, de verbis, & cogitationibus singulis reddenda est ratio; & ab eo Judice, qui etiam in Angelis reperit pravitatem; inevitabilis & immutabilis audienda est sententia. Hæc cogitatio eum timorem incussit Hieronymo, ut ex ejus vehementia fateri cogeretur: *Sive comedam, sive bibam, semper in auribus sonat meis terribilis illa vox: Surgite mortui, venite ad judicium.* Hæc vox tot nobilissimos adolescentes astraxit a matrum ulnis, ex aulis evocavit ad asceteria, a vanitate coëgit ad religionem. Hæc vox tibi, o Adolescentis! justam debet facere solicitudinem, ut eum vitæ statum in eas, in quo tole-
rabi-

rabilius speres judicium. Si *justus vix salvabitur, peccator ubi parebit* I. Petr. 4. qui te judicabit Dominus est, qui nec prævenitur gratia, nec misericordia flectetur, nec pœnitentia ibi amplius mitigabitur; cuius irati vultus ita terribit omnes, ut præ illius horrore diæturi sint montibus: *Cadite super nos, & vallibus, operite nos* Luc. 23. qui te judicabit, DEUS est, qui te creavit, qui te redemit, qui tibi legem tulit, qui te ad certum vitæ statum actu per inspirationem suam vocat: cave, ne renuas vocanti DEO. Non judicabit te homo . non pater, aut mater: cave horum suasioni DEI consilia postponere.

2. Nunc tibi deliberanti DEUS relinquit judicium; ita fer tu sententiam, ut DEI judicium præ oculis habeas; certus, quod de hac ipsa electione rationem DEO sis redditurus: an supernaturali ex motivo, an humanis impulsus rationibus eam feceris? an hominum potius placita, quam DEI consilia sis secutus? an plus de animæ bono, quam sensualitate corporis fueris sollicitus? Præter hoc perpende mi Adolescens! quod & boni & mali in judicio sint comparituri. Sine differentia *justum & impium judicabit Dominus* Eccl. 3.

Si

Si bonus es, eum statum ini, in quo bonus manere possis; ita lætus judicium expectabis, si vere in peccatis DEUM in vindictam provocasti, is tibi vitæ status arripiendus, qui fit statns pœnitentiæ, ut in eo per austertates pro peccatis tuis satisfacias, ac a futuris lapsibus depravatam naturam vigiliis & inedia coerceas.

3. De quibus autem dabis Adolescens! rationem? 1. De corpore, an illud voluptati, an DEI & proximi obsequio impenderis? de sensibus omnibus, quomodo iis juxta vel contra DEI legem usus vel abusus sis? 2. Reddes rationem de animæ tuæ donis, de ingenio, talentis, an eadem per socordiam sepelli veris? an ad DEI gloriam, bonum publicum impenderis? Si ita: habes quod gaudeas, audies enim: *Euge serve bone, & fidelis!* Sin minus: iram DEI provocabis; cui enim plus datum est, plus ab eo repetetur. 3. Reddes DEO rationem de tot gratiæ donis, tot perceptis Sacramentis, Divinis instinctibus, admonitionibus sacris, bonis aliorum exemplis, si his forte contemptis ad vanitatem, ad tua desideria te convertisti. Vide, mi Adolescens! ne sua DEUM expectatione prives? mature perpende, & fac, quod DEUS vult.

Affetus.

O Domine! Judex vivorum & mortuorum , coram cuius tribunali mihi quoque comparendum erit, ut recipiam, prout gessero in corpore, sive bonum, sive malum; & ideo fragilitatis meæ conscius totus contremisco, ac ut iram tuam effugiam, sollicitus ad laboro. Tu Domine adjuva conatum hunc meum, ut eum vitæ statum, te illuminante, nunc eligam, in quo de dictis , & factis meis faciliorem tibi reddere possim rationem. Tuum hac in electione judicium , non hominum placitum sequi mihi est statutum , non timebo eos, qui ad sequiora invitant, sed eum timebo, illius instinctus observabo, qui me judicabit.

CONSIDERATIO VI.

Deliberans inferni pœnas perpendat.

i. **A**d inferni atrium , Adolescens !
Antisper te loca: vide tenebras illas , in quibus infelices animæ æternum errant , nunquam exitum reperturæ. Audifletum & dentium stridorem, ubi ingemiscunt, & nemo miseretur; ejulant, & nemo hec titur, lamentantur; & nemo exaudit

audit. Tange ignem, qui non extinguitur, qui lucet ad dolorum augmentum, ut videant, unde doleant. Experire fœtorem: & ubi hæc sensibus explorasti; examina te, an non tu per peccati confuetudinem inferni pœnas sis commeritus? Si ita, profecto nullus tibi status nimium durus, aut austerus videri debet: & quidquid molestiarum, mortificationum in quocunque statu occurrit, in comparatione pœnarum, quas pati oporteret in inferno, delitiæ sunt. O felix commutatio! si gravissimis totius vitæ miseriis, difficultatibus, pœnitentiis redimi possit vel minimus doloru[m] illorum intolerabilium inferni, ubi querent homines mortem, & non inventant, desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis Apoc. 9.

2. Dum deliberas tecum Adolefcens! & a temetipso resolutionem quæris, de æternitate, velim, ut cogites, nec prius inde cogitationes evokes, quam resolutionem status feceris: perpende, quidquid in mundo est, modicum & per breve esse, quid quid post hanc vitam futurum est, æternum esse; pondera hinc breve, inde æternum; breve incommodi, æternum gaudii; quemcunque statum elegeris, per breve quid est, sed

ab

ab hoc brevi longa pendet æternitas.
Ex bona electione felix, infelix ex ma-
la sequetur æternitas.

3. Magnum DEI beneficium est, quod
sceleratis infernum sit comminatus.
Hauriret homo iniquitatem, sicut aquam,
nisi justus hic metus concupiscentias coer-
ceret, & ignis æternus turpes ignes ex-
tingueret, *Gratia DEI est*, ait S. Chry-
soft. *quod fide credamus gehennam, omnes*
eo ituri, nisi crederemus. Utter hoc
DEI beneficio Adolefcens! crede infer-
num, & eam deliberationi tuæ coroni-
dem impone, ne te pœniteat in æter-
num. Nullus nunc arderet in inferno,
si vitæ statum electurus consilium ab in-
ferno petiisset. An non mente captum
hunc judicares? cui offerretur posse
quinquaginta annis ad suum gustum vi-
vere, modo hora prius in clibano ar-
dente uri sustineret, si contractum hunc
inire vellet: & quomodo statum eliges,
in quo aliquot annis voluptatibus indul-
gere possis, sed ex quo abeundum sit ad
ignes æternos.

Affectus.

O Mi Domine! quis timor & horror
artus meos occupat, dum vel co-
gito pœnas inferni, ubi eheu tot miris,
veris

veris tamen modis, tamque atrocibus & horribilibus cruciantur animæ ad cœlum ex mente tua destinatæ, nunc æternum perditæ. O Domine! non finas me nunc in electione status errare; da, ut tenebræ inferni me illuminent, ignis ille meum tempore accendat, gemitus illi me doceant, quid eligendum mihi sit in tempore, ne gemam in æternitate. Hic semel errasse, est æternum periisse. Non sim **ex** infeliciſſimis illis mercatoribus, qui pro modico vendam æternitatem, quæ me vel felix, vel æternum infelix expectat. Nihil hic datur medium. Tua me **DEUS** gratia regat, ne in re tanta turpiter aberrem, erroremque meum gemere cogar in æternum.

CONSIDERATIO VII.

Deliberans Cœlum consulat.

ANIMA hominis eo fine a **DEO** creata est, ut cœlum obtineat; hinc si sanæ rationi conformiter vivere vult homo, omne ejus desiderium, cura & sollicitudo eo ferri debet, ut animam suam salvet; hoc obtento est feliciſſimus, sine hoc miserrimus. Cœlum est omnis boni possessio, gaudium sine mœrore, requies sine labore, fa-

nitas absque languore, spes sine amittendi periculo, abundantia sine defectu, vita sine morte, beatitudo sine calamitate, perpetuitas sine metu. Estne aliquid, quod præterea optare possit homo? & hoc tibi DEUS destinavit Adolescens! huc ut venias, contemne viliora. Mater Machabæorum sic filios suos ad mortem animavit; *Peto nate!* ut Cœlum aspicias 2. Mach. 7. cuius aspectus ad terrenorum fastidium movit innumeros, ad fortia quæque audenda imbellibus etiam animos addidit. Tu qui deliberas, cœlum aspice, nec diu te dubitare sinet, eam tibi eligendam esse vitæ methodum, quæ te sit illuc securissime deductura.

2. Quanti putas constat cœlum? si nefcis, quanti cœlum sit venale, Apostolos, Martyres, Eremitas confule; confule veritatem æternam: nunquid oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam Luc. 24. pati eum oportuit in fama, pati in animo & in corpore; pati a Judæis, pati a discipulis, pati a DEO Patre. Si eum oportuit pro cœlo pati, quomodo tu per rosas & libertatem, per abundantiam & honores te illud obtenturum speres? quid ergo tu pro cœlo facies? quem vivendi modum eliges? Non est e terris

mollis ad astra via: regnum cœlorum vim patitur, & violenti, id est, qui concupiscentiis suis vim inferunt, rapiunt illud. Da te ipsum, & cœlum habebis.

3. Omnes quidem creati sunt ad cœlum; tamen heu! pauci sunt, qui eo perveniant: certissima sunt, quæ sacra scriptura docet: multi vocati, pauci electi; & unde tanta hominum infelicitas? in promptu causa est: ardua via, & angusta est semita, quæ ducit ad cœlum, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Matth. 7. quia vel sine ulla, vel sine debita deliberatione vitæ statum eligunt: non quem æternæ rationes, sed humanæ considerationes suadent; ideo pauci electi. Quære tu melius iter ad cœlum Adolesceus! in tua nunc illud est potestate: prout statum eliges; ita cœlum vel obtinebis, vel amittes. Vide, ne pro vitro adamantem, pro crepundiis cœlum, pro momento perdas æternitatem.

Affectus.

O Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini Psalm. 83. Ideo DEI bonitate creatus sum; ideo tam copiosa fuit redemptio mea;

ideo ad veram fidem vocatus, in DEI agnitione & timore educatus sum; ideo hæc a DEO talenta naturæ gratiæque tam liberaliter consecutus; ideo usque ad hoc momentum in vita conservatus sum, *ut tandem salvus fiam.* O magna DEI erga me dignatio, cœlum mihi, modo ultiro velim, offerentis! sed quid juvat ad cœlum vocari, nisi detur illud consequi: nunc tempus est eo iter arripiendi. Tu Domine dirige gressus meos, intellectum instrue, move voluntatem, ut eam arripiam vitæ semitam, quæ me ad cœlum, quo unice aspiro, certo deducat.

CONSIDERATIO VIII.

Mundus, Caro, Daemon, ut hostes bonæ deliberationis fugiendi.

IN sanctum Augustinum de statu vitæ deligendo deliberantem, & ad viam cœli aspirantem insurgebat caro, ut ipse fatetur, intentidem clamans: *sic nos deseris Augustine?* Idem hodie quoque deliberantibus accidere solet, dum hi nempe in consilium coram DEO mortem, judicium, infercœlum, æternitatem, incorruptos plane judices advocant; his se miscet caro, & concupiscit adversus spiritum; repugnat

gnat legi mentis; miscet se mundus:
venite, invitat, fruamur bonis, quam-
diu junt; coronemus nos rosis, antequam
marcescant: circuit dæmon, præsentia
obtrudit, occult futura, ut in sua de-
liberantem retia alliciat. Et quid pes-
simi illi consultores tibi suggesterunt?
voluptatem? imaginarium bonum, quod
vix esse incipit, jam definit, & mo-
mentum gaudii amaritudinis torrente
compensat; & tamen heu! quot tam ex-
cordes reperiuntur mortales, ut in sta-
tus electione constituti harum cupidi-
tate se turpissime seduci patientur. Aperi
oculos Adolescens! fraudes vide, cave
unquam eo amentiæ delabaris, & ita
terrenis inhæreas, ut dicere cum im-
piis velis: *cælum cali domino, terram*
autem aedit filiis hominum: pecudum hic
non hominum sensus fit.

2. Non minus fallax mundus deli-
berantium oculos fascinat, ac objecta
rerum abundantia divitiarumque, vel in
re affluentia, vel in spe cupiditate,
illaqueare adlaborat. Periculosa plane
tentatio! hæc juvenem illum Evan-
gelicum à Christo vocatum tristem af-
fecit: *erat enim habens multas posses-*
siones Matth. 19. Quid prodest arca
plena pecuniis, si conscientia sit inanis
virtutibus? bona vis habere, & tu bo-

nus non desideras esse ? quid prodest
diviti omne , quod habet , si DEUM ,
qui omnia dedit , non habet ? cui un-
quam mors ob divitiarum abundantiam
pepercit ? stulte ! si hac vel postera
nocte animam tuam a te repetat Crea-
tor , quæ parasti , cujus erunt ? quid
si cum Epulone , qui induebatur byssso
& purpura , epulabatur quotidie , audi-
re debeas ? *Fili ! receperisti bona in vita tua.*

3. Vaferrimus pariter animarum no-
strarum hostis dæmon in ruinam nostram
semper sollicitus excubat , in delibera-
tione de statu vitæ constitutos gravius
premit , dum uniuscujusque mores , &
inclinationem examinat , & qua parte
debiliorem reperit , illic infestat . Huic
religionem suadet sub specie boni , quem
ad sæculum vocatum videt , ut in in-
teriorum præcipitet . Illi sæculi delicias
repræsentat , quem scit religioni a
DEO destinatum , ut æterna excidat
salute . Cave hujus consilia ; quia in-
videt cœlum , quo ipse excidit ; invi-
det Christo gloriam , quam iphi præ-
stare recusavit ; & cum ob arrogantiam
cœlum amiserit , pariter de statu vitæ
deliberantes spiritu superbie imbuere
solet . Exempla te Adolefcens ter-
reant , terreat æterna veritas , eunque
delige statum , quem elegisse nec æter-
nitate tota te pœniteat . *Afje-*

Affectus.

Vide me miserum Domine ! ut navis
variorum ventorum potentia nunc
huc, nunc illuc impellitur ; sic anima
mea diversis agitata desideriis, quem
secura petere possit portum, ignorat:
ideo ad te magne DEUS preces, ad
te oculos meos converto, & cum flu-
tuantibus olim discipulis tuis clamo:
Domine salva nos, perimus ! caligo
mihi lumen eripit ; varia varias in
partes motiva impellunt: hinc pyratæ
saluti meæ infesti terrent, inde Sirenes
dulce canentes invitant ; quo vela
vertam ? Ad te Domine vota mea con-
verto : tu deliberationis meæ cymbu-
lam dirige : tu mihi consilio & auxilio
si ades, illico fiet tranquillitas magna.
Sine tuo Nume nihil est in homine.

CONSIDERATIO IX. ET ULTIMA.

*Amor Divinus sit deliberantis
regula.*

* **P**Erpende Adolescens ! quomodo,
quam tenere, quam follicite,
quam sincere, quam constanter te dile-
xerit, & diligit DEUS tuus : creavie
te

te, cum non essem; corpus dedit integrum, vires bonas, sensus vivaces: creavit hominem; sui imaginem animæ tuæ impressit; in fide salvifica educavit, cœlum tibi præparavit, sanguine te redemit; contulit ingenium tam nobile; inter tot pericula conservavit immunem; quod nunc vivas, quod sanus sis, nunquid DEI beneficium est? quid denique habuisti hactenus boni, aut etiamnum habes, quod non accepisti a DEO? & quid retribuis pro omnibus, nisi ut redames amantem DEUM? totum ille se pro te dedit, *exinanivit semet ipsum formam servi assumens.* Quot vulnera tulit, quot sanguinis guttas fudit, tot ille linguis tui amorem profitetur, & ad reciprocum sui amorem invitat. Et tu tam durus & excors eris, ut eum non diligas, qui prior dilexit te? Si diligis, eum statum delige, in quo sincerius DEUM diligas. Dic cum Augustino: *Amor meus, pondus meum, eo feror, quocunque feror.*

2. *Nemo potest duobus Dominis servire; unum enim odio habebit, & alterum diligit; frustra te torques; non potes DEUM simul, & te ipsum amare: vel solus amandus est, vel non amat. Diliges DEUM tuum, clamat*

mat verus amor, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.
 Marc. 22. Si toto corde non amas, nihil amas. Zelotypus DEI amor est, parem non patitur, corrivalem non admittit, totus vult cor tuum possidere.
Minus te Domine amat, qui aliquid amat, quod propter te non amat. S. Augustinus. Nec difficile tibi esse potest DEUM amare, hujus amore reliqua omnia dimittere, quando in eo bona omnia cumulatissime reperies; hinc si amas, dives es; huic vivere si eligis, felix es.

3. Quid est DEUM amare, nisi idem cum illo velle? Ubi voluntatum est diversitas, ibi mutuus amor esse non potest: idem velle, idemque non nolle veri amoris caracteristica est. Ille vere DEUM amat, qui plena voluntatis suæ in Divinam resignatione dicit cum Apostolo: *Domine! quid me vis facere?* vis scire, an ames DEUM Adolescens! tua deliberatio te docebit: qua promptitudine DEUM intus monentem sequeris, tantum amas. Cor suum DEO subtrahit, qui illud ad hujus vocantis nutum obdurat: *Oves meæ vocem meam audiunt: audi, quid in te loquatur Dominus?* redi ad cor, auctorita, quid a te DEUS velit.

Affectus.

O Ignis ! qui semper ardes , nunquam extingueris ! o amor ! qui semper uris , & nunquam te pescis ! ecce cor meum ! cor tepidum ! cor ambiguum ! accende illud , ut te incessanter amet ; trahe illud , quo tu vis , in funiculis charitatis ; ut diligam te DEUS meus , adjutor meus , amator meus ! diligam te dono tuo , modulo meo , minus quidem justo , sed plane non minus posse meo : amo & amabo te , licet , quantum debeo , non possim : non possum tamen ultra , quam possim ; potero plus , cum tu plus donare dignaberis ; nunquam tamen prout dignus es amari . Amo te , sed & proximum propter te ; tui & hujus amore statum eligam , in quo ego cum pluribus amem te , & ita nunc amare incipiam , ut nunquam definam .

Responsiones ad quæsita , quæ juvant ad directionem Adolescentis in diligendo vitæ statu .

QUÆSTIO I.

AN expediat Adolescenti cito , an matura jam ætate de statu vitæ deliberare ?

- ¶. 1. Deliberationem de statu vitæ differre, fraus est dæmonis, volentis impedire salutem hominis; ideo hic animæ hostis ingerit metum erroris, quod Adolescens rem tantam, quanta est electio status, non satis penetrare possit.
2. Vocatio non est tam labor nostri iudicij, quam gratia & donum DEI, dona vero innocentibus facilius largitur DEUS; quo innocentior est tanto certius in te operatur Spiritus Sanctus; quo plus maturescunt juvenes, tanto majus periculum est amittendæ innocentiae, præstat prævenire, quam præveniri.
3. Si parvuli possunt arti pictoriæ applicari: cur non etiam liceat se disponere ad aliquem statum?
4. Multi vellent in altioribus scholis aliquem statum amplecti, sed non possunt; quia pravis moribus assueverunt; qui si mature de hoc statu cogitassent, quem nunc appetunt, melius se tam virtuti, quam studiis applicuissent.
5. DEUS multos a teneris vocavit, ut testatur Evangelium de adolescenti Luc. 10, imo quosdam statim a primo usu rationis ad certum statum determinavit. Sic S. Thomas 14.

ætatis anno, S. Aloysius 13., S. Benedictus 12. religionem ingredi statuerunt, & nullus horum erravit.

6. *Non amat tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Moras suadere solet diabolus, ut auferat deliberationem. Non est bonum signum in adolescentे, si quo tendat, interrogatus, semper respondeat: nescio.
7. Si satis maturus es, ut scias graviter peccare, & possis, si velles, viam ad infernum eligere; cur non etiam satis te maturum judicas, ut viam ad cœlum invenire, & eligere possis.
8. Non dicas: DEUM jam scire, quid ex te fiet; te curam hanc illi relinquere: hæc quippe dicere præsumptio est.
9. Fugiendi præprimis adolescentibus ii, qui suadent: ut se occultent; stabili confessario non utantur; caveant eos, qui ipsis vellent consilio adesse; ne se præcipitent in electione status; adhuc satis temporis futurum: qui hæc juvenibus in ruinam salutis ingerunt, videant, quomodo DEO respondebunt.

QUÆSTIO II.

QUæ dispositio requiratur ad deliberationem de statu vitæ?

- ¶. 1. Requiritur præprimis conscientia a peccato gravi munda: nam *in malevolam animam non intrabit Spiritus sapientiae* Sap. 1. Habitus pravi peccatorum prius debent exu i, antequam deliberatio instituatur.
2. Pro hac puritate conscientiæ conservanda suadetur deliberantibus, ut sæpe confiteantur, & communicent.
3. Cum vocatio sit donum DEI, ideo pro ea impetranda regandus est frequenter DEUS, non tantum tempore communionis, aut auditionis missæ, sed domi etiam jaculatoriis precibus, dicendo v. g. *DEUS in adjutorium meum intende: loquere Domine, quia audit servus tuus. Veni Sancte Spiritus &c.* hi affectus sæpius iterandi.
4. Implorandum auxilium B.V. MARIAE boni auxilii matris; hinc in facello aliquo coram ejus imagine sæpius hoc negotium commendandum, uti & S. Angelo Custodi, aliisque SS. Patronis.
5. Adhibendæ aliquæ mortificationes, cujusque statui præsenti accommodatæ, aliaque pia opera cum consilio confessarii.
6. Juvit etiam multos lecio spirirualis libelli, per quam sæpe DEUS vocationem aperuit.

7. Adeundus sœpe durante deliberatione etiam extra confessionem est animæ tuæ director. Sic Christus Saulum ad Ananiam, Beata Virgo Alysum ad confessarium misit; si huic status animæ tuæ notus non esset, prodeßet ei totam conscientiam vel per confessionem generalem, vel extra hanc, per modum dandæ rationis conscientiæ aperire.
8. Instinetus, quos sentit, motiva, quæ incident pro hoc vel illo statu occurrentes in charta notet, ut eas conferre cum confessario, & sic facilius deliberationem finire possit.

QUÆSTIO III.

Qui sunt scopuli deliberationis?

¶ 1. Dæmon sciens a bona status electione salutem hominis pendere, omni modo laborat impedire deliberationem. Persuadet deliberanti, ut se DEO committat, jam illum scire, quid te fiet? quasi DEUS non exigeret nostram cooperationem, quam tamen ad salutein nostram requirit.

2. Scopulus est inveterata persuasio, vel affectio ad certum statum, quem vel convictu, vel alicuius persuasione quis elegit; nocet hæc deliberationi, quæ indifferentiam requirit.

3. Se permettere parentum dispositioni, & voluntati, non est semper tutum; nam tu DEO dabis rationem, non parentes; hi te non salvabunt.
4. Periculorum est de tempore ad tempus differre deliberationem. Negotium enim animæ ac æternitatis omnibus aliis præponendum est. Hac dilatione quærit dæmon, vel ut occasio status, ad quem a DEO destinaris, ingrediendi elabatur, vel ut pravis habitibus asfuescas, & sic impediari a statu, in quo salvari deberes.
5. Juxta quamlibet obviam inclinationem, quam deliberans sentit ad aliquem statum, eundem amplecti, non est consultum; sed an hæc inclinatio sit juxta DEI voluntatem, an sit rationi conformis, debet examinari. Examina proinde spiritus, an a DEO sint.
6. Cogitare, quod quis possit in quolibet statu salvari, est se periculo salutis exponere; posse salvari, non est certo salvari. Etiam qui damnati sunt, potuissent salvari, nunquid salvabuntur?
7. Timor, se posse errare in electione status, vanus est: vel enim adeit justa timoris causa, vel nulla? si nulla: imprudens timor est; si adeit prudentiores consule.

QUÆ

QUÆSTIO IV.

AN parentes & cognati de statu vi-
tæ consulendi?

Lex naturæ & præceptum DEI ju-
bent parentibus amorem, reverentiam,
& obedientiam exhibere; adeoque non
tibi author sum, ut hos in negotio deli-
berationis plane præterreas: sed morigeri
filii est, parentes quoque in consilium
vocare, ita tamen, ut DEI voluntatem
voluntati eorum semper præponas, &
si quid DEO contrarium suaserint, se-
cure recede, & DEUM sequere. Hinc

Ex. 1. Status electio ita cuique propria
est, ut deliberaturus imaginari sibi
debeat, ac si nihil in orbe existeret
præter se & DEUM, non audienda
ulla vox, nisi DEI.

2. Si sunt parentes aliqui & cognati, qui
statum suadent, in quo est spes pro-
motionis, divitarum &c. suum non
tuum quærunt bonum.

3. Åger volens curari, non vocat far-
torem, sed medicum; ita animæ suæ
salutem quæsiturus non debet in de-
liberationem cognatos admittere,
quia: *animalis homo non percipit
ea, quæ sunt spiritus.*

4. Si sentis stimulos ad religionem, cur
laçulares hac de re consulere opor-
teret?

- teret? quid illi hac de re intelligunt qui toti sunt in appetitu temporalium?
5. A te DEUS, & non a parentibus aut cognatis, si male elegeris; rationem exiget.
6. Sancti Thomas, Aloysius, & innumeri alii, in electione status voluntati divinæ parentes postposuere.
7. Ut tuis bene sit, cur tu te velis animæ periculis objicere? ut tui cognati magis opimam habeant hæreditatem, ut facilius accommodentur; frivolæ hæ sunt considerationes: quid hæ tibi professent, si tu perires?
8. Si consiliarium quæris; nullus tibi potest esse fidelior, quam qui non tua, sed te; imo non te, sed animam tuam diligit. O utinam pauci sint, qui vel parentum suasu, vel cognatorum horatu vocationem veram negligentes, beatam æternitatem perdiderunt, illud a DEO sibi exprobrari audientes:
Vocavite, renuisti, ego quoque in intentu tuo ridebo.

QUÆSTIO V.

Quæ sunt signa vocationis Divinæ?

1. *Probate Spiritus, si ex DEO sint;* Joa., 2
 Nec enim omni instinctui credendum, neque cuncta desideria, quæ bona esse censentur, sunt opere exequenda; cum
 sæpe

sæpe dæmon se possit in angelum lucis transfigurare.

2. Si ab ipsa pueritia diu & constanter sentiatur affectus ad aliquem statum, idque maxime sub oratione, & pietatis exercitiis.
3. Si talis instinctus veniat cum animi pace & lætitia; & in longiori ejus cogitatione gustum & consolationem sentiat.
4. Si sentiat sibi in animo quasi promitti vires ad preferendum omnia onera & incommoda illius status, addique spem ad vincendas impugnationes tum dæmonis, tum aliunde occurrentes.
5. Si rationes sibi objectas facile solve-re possit, nec aliorum dissuasiones multum curet, nec moveatur in oppositum aliorum exemplis.
6. Inclinatio ad aliquem statum non necessario debet esse valde vehemens, sed sufficit, ut sit talis, ut adverti possit. Errant proinde, qui credunt se non vocari, nisi quasi ardeant præ desiderio alicujus status, aut vehemen- ter se impelli sentiant: quod licet aliquando faciat DEUS, plerumque tamen non facit.
7. Si ratio suadeat statum aliquem, & voluntas quasi reluctetur, absque ulla positiva ratione, sed solum ex aliquo metu.

metu, vel naturali irresolutione, præ reliquis est certius signum veræ vocationis; nam signum est, quod inter se pugnet bonus & malus spiritus; talis vocatio est constantior; affectus enim facile mutatur, ratio semper manet: Christus juxta Patris vocationem, & voluntatem inchoandæ passionis cœpit pavere, tædere, & molestus esse, nihilominus ab executione voluntatis divinæ non recessit, sed se ad eam adimplendam animavit, dicens: *surgite, eamus.* Ita decet eum agere, qui ratione convincitur, quæ DEI sit voluntas, licet natura & sensualitas, abhorreat.

His rite perpens, scire debes tres esse in orbe status; sæcularis nimirum, ecclesiasticus, & religiosus: in quorum uno te DEUS salvum vult; horum itaque adolescens commoda & incommoda, quæ tibi proponam, perpende accuratius, ut videas, quis status tuæ naturæ, tuis viribus magis fit accommodatus.

Considerationes pro statu sæculari.

1. Potest quis etiam in sæculo certo salvari; tot sancti & sanctæ vixerunt in sæculo, & nunc in cœlo sunt.
2. Videtur in sæculo facilius obtineri posse

posse salus, quam in statu ecclesiastico vel religioso; quia quædam his reputantur in peccata, quæ sacerdotalibus sunt licita. Nec tam severam DEUS a sacerdotalibus exigit rationem, quam a religiosis & ecclesiasticis, qui sunt altioris status.

3. In sæculo bene vivere est majoris meriti, ob majorem difficultatem salutis, & plura pericula, quæ debent superari.
4. Non est in statu sacerdotali tantum periculum incontinentiæ ob occasionem matrimonii, *Præstat autem nubere, quamuri;* maxime cum per ingressum religionis vel status ecclesiastici non exuatur caro & sanguis, nec dæmoni ablata sit potestas hos etiam gravissime tentandi.
5. In sæculo multa bona possunt fieri, quorum non est occasio in religione, ut sunt eleemosynæ, & alia opera misericordiæ corporalis; fundationes, peregrinationis &c.
6. In sæculo est spes prudens vitæ longioris, cum vires non atterantur jejuniis, mortificationibus &c.
7. Christiana educatio prolium est res ingentis apud DEUM meriti, propter quam DEUS matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexerat.

Considerationes contra statum sæcularem.

1. IN mundo sunt innumera salutis pericula, tot obvia malorum exempla, tot peccatorum illicia,
2. Divitiæ, voluptates carnis & sensuum, deliciæ in cibo & potu, honores vani sunt & breves, *momentaneum*, quod delectat, *æternum*, quod cruciat.
3. Innumeræ sunt in mundo crues, & si quid gaudii sentiunt sæculares, centuplo dolore compensant, nec habent media has crues generose sufferendi,
4. Si pauper es, quanta sollicitudo & labores sunt, viatum & necessaria pro te, protius conquirendi? Si dives es, quæ non cura, ut augeantur; qui metus, ne improvisus aliquis casus infaustus tibi, tuisque accidat in temporalibus?
5. Continuæ cum aliis competentiæ; dum quisque alterum vult officio, honore, favoribus apud altiores excelle-re: quod si non succedat, quot dis-gustus, quæ simultates, odia, & perpetua inquies.
6. Cura perpetua rerum temporalium ita totum occupat hominem, ut vix etiam per mensem semel occurrat feria de DEO, rebus divinis & animæ salute cogitatio.

7. Matrimonium , quam est dura servitus? quot non conjugia plena rixis, & contentionibus? nullus infernus pejor muliere litigiosa.
8. Mors sæcularibus accidit difficillima eis deserendas opes , liberos, aut conjuges: hæ cogitationes ita mentem in morte occupare solent, ut seriam animæ curam impedian.

Considerationes pro statu Ecclesiastico.

1. **S**tatus Ecclesiasticus est dignior tam sæculari quam religioso ; eo quod ad hunc regimen Ecclesiæ pertineat. Hinc tot privilegia huic statui collata sacris canonibus.
2. Occasio multorum bonorum operum, quæ potest facere Ecclesiasticus, exercendo ex officio zelum animarum per conciones, catecheses, administratio, nem Sacramentorum, assistentiam moribundorum ; nam *divinorum omnium divinissimum est DEO cooperari in salutem animarum.* S. Dionysius.
3. Habet etiam occasionem illius charitatis , quæ æquiparatur martyrio, si vel in peste, aliisve morbis contagiosis infirmis morbum contrahat , ex quo moriatur : *majorem charitatem nemo habet, quam ut ponat animam suam.*

suam pro fratribus suis. Hæc est perfectissima Christi imitatio, qui pro salute nostra mortuus est.

4. Spes est per virtutem, & scientiarum eminentiam promotionis obtainendæ ad Archidiaconatus, Decanatus, Præbendas canonicales, Infulas &c.
5. Præceptum Domini est succurrere parentum necessitatibus: quod facilius in ecclesiastico, quam alio statu fieri potest.

Considerationes contra statum Ecclesiasticum.

1. **D**ignitas status Ecclesiastici parit obligationem vitæ perfectionis & exemplaris, cui si non satisfaceres, quam gravis culpa apud DEUM, quod scandalum apud homines?
2. Cura animarum, quam ex obligatio-
ne justitiæ habent ecclesiastici Curati,
magnum secum fert animæ suæ pericu-
lum; nam e manu tua repetet DEUS
animas ovium subditarum, si his ma-
lo exemplo præreas, aut ex ignorantia
& negligentia non rite instruas. 3.
3. Quid si proventus ecclesiasticos super-
fluos, qui in pia opera expendi debe-
rent, in lautitias, luxum, vel in su-
perbiam fovendam cognatorum di-
spenses?
4. Finis status ecclesiastici est cura ani-
marum

marum: quid, si absolutis etiam jam studiis in civitatibus commodam quæras vitam, agendo unius juvenis præfectum, aut nobilis œconomum, ubi interea tot animæ a DEO tuæ curæ destinatæ pereunt, quam rationem DEO reddes, qui finem non adimples?

Considerationes pro statu religioso.

1. **R**eligiosus status perfectione est sæculari, docente ipsa divina veritate: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, da pauperibus, & veni, sequere me.*
2. **D**EUS, qui mentiri nequit, non quomodo cunque, sed jurato religiosis cœlum promisit: *Amen, Amen dico vobis, omnis, qui reliquerit patrem & matrem &c. propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*
3. In religione absunt salutis pericula, & peccandi occasionses, ac scelerum illicia. Quæ habentur in sæculo vitia carnis per castitatem, ambitio per obedientiam, appetitus opum per paupertatem emendantur.
4. In religione sunt plurima salutis media, uti regulæ, vigilantia superiorum, assidua Sacramentorum frequentatio, exhortationes, exempla;

librorum spiritualium lectio quotidiana, frequentes corporis mortificationes, meditationes &c.

5. Qui religionem ingrediuntur, consequuntur integrum remissionem peccatorum tota vita commissorum, non secus, ac si recenter baptizati essent, ita docent SS. Patres.
6. Religiosus, quanto magis liber est a curis terrenis, tanto melius potest tota mente, & ex integro se impendere obsequio & amori DEI, expeditius vacare orationi, magisque animæ suæ saluti providere.
7. Religiosus vivens sub directione superiorum semper potest esse certus se facere DEI voluntatem: *Qui vos audit, me audit.*
8. Mors. quæ aliis hominibus tam gravis, religioso facilis est; tum quia rebus omnibus jam prius valedixit; tum quia habet solatium ex vita in obsequio DEI transacta, ob quam certum sibi cœlum expectat in mercede in.
9. Quodlibet opus etiam ex se indifferens fit meritorium ob obedientiam.

Considerationes contra statum religiosum.

1. **S**i vis esse bonus religiosus, res est nimium difficilis: si malus, reli-

giosus non es nisi veſte, nec hujus præmia & merita obtinebis.

2. Intolerabilis videtur illa propriæ voluntatis & libertatis abdicatio per votum obedientiæ, maxime si es capit is durioris, naturæ præfervidæ, nisi totus in alienum hominem muteris.
3. Caſtitas perpetua. quam diſſicilis, forte multis moraliter imposſibilis; maxime ſi fuerint conſuetudinarii, quomodo perpetuo domabunt concupiſcentiam naturalem? nunquid *melius eſt nubere, quam uri* 1. Cor. 7. Si quid peccetur contra caſtitatem, eſt insuper sacrilegium contra votum.
4. Paupertatis votum exſpoliat hominem rebus omnibus, quod ſi non feretur, eſt peccatum.
5. Continua ſolitudo & vita clauſtralis parit tœdium, & alit melancholiā.
6. Peccata religioſorum ſunt graviora: *Cui plus datum eſt, plus requiretur ab eo.*
7. Abdicare ſe pro tota vita omnibus bonis, commoditatibus in vietū, loco habitationis, ſociis, amicis, parentibus, voluptatibus licitis, honoribus, & dignitatibus mundanis, fama, nobilitate, res plena eſt diſſicultatibus.
8. In religione multi vivunt cum pœnitudine; cuperent non intraffe, vel *etiam*

etiam aliis dissuadent voce exemplo-
que : quam melius talibus fuisset, si
nunquam religiosi facti essent.

His bene examinatis, si te , adoles-
cens ! ad statum ecclesiasticum vocatum
sentias, vide , ut incommodis horum sta-
tuum occurrere possis, ne, dum in horum
aliquo statu salvari cupis, non bene ob-
firmatus in æternum pereas. Quod si
vero altius progredaris , tibi status re-
ligiosus præplacet, sequentia quæsita ul-
terius perpende.

QUÆSTIO I.

QUæ religio præeligenda ? Si ado-
lescens ad religionem se vocatum
sentiat, non autem se determinare pos-
sit, quam in particulari ingredi debeat?

R. 1. Multi se determinant ad statum
religiosum, in hoc dubii, qui eligen-
dus. Pro quo lumine ulterius DEI
voluntas precibus & piis operibus ex-
quirenda.

2. Cæteris paribus eligenda est religio,
quæ est perfectior ; nam in omniibus,
quod optimum censemus, eligimus.

3. Non eligenda, quæ in se perfectissima,
sed quæ deliberantis naturæ, talentis,
qualitatibus est optima.

4. Vide, quæ religio sit DEO gratiior,
ubi possunt fieri plura bona , ubi occa-

sio actionum heroicarum, & laborum insignium pro gloria DEI præstandlerum.

5. Non attendendum, ubi sit vixtus laetior, splendidior vestitus, major vivendi commoditas: hæc bonus religiosus in postremis habet.
6. Non ideo amplectenda religio, quod eam parentes aut cognati suadeant, nisi idem etiam DEUS suadeat: qui propter hominem religionem intrat, graviter errat.
7. Ingredi velle religionem spe promotionis secuturæ, vel appetitu majoris libertatis, vanitas est.
8. Vide, in qua religione sit major votorum observantia, accuratior disciplina domestica, major regularum observationis, major superiorum vigilantia, vel ubi boni promoveantur, mali contemnuntur.
9. Vide, ubi magis exulet ambitio, quæ maximorum dissidiorum est mater: ubi vigeat major unio & concordia; *ubi enim pax, ibi DEUS.*
10. Ea demum appetenda, in qua sperare possis admissionem; nec tamen esto pusillanimis: *si DEUS dedit velle, dabit & perficere.*

Dum hæc consideras, illud præpribis attende, ne vel a notitia vel affe-

Et tu religiosorum te duci finas, sed rationes bene pondera, quid tibi expediat.

QUÆSTIO II.

AN vocatus ad religionem possit vocationem non sequi?

R. 1. Etsi vocationem non sequi juxta mentem Doctorum, non sit peccatum simpliciter; eo quod vocatio non sit præceptum, sed consilium; *si vis perfectus esse Matth. 19.* Si tamen quis agnoscat vocationem hanc esse in remedium suæ fragilitatis ad salutem, talis sub peccato obligatur ad vocationem implendam. *Aliqui sunt, dicit S. Gregorius, qui, nisi omnia relinquant, salvare apud DEUM nullatenus possunt.*

2. Qui consilium vocationis non sequuntur, plerumque non salvantur. Prævidit enim DEUS, te in his v. g. circumstantiis peccaturum; ideo te vocavit, ne pecces: quia vero vocanti non respondes, peccabis; & peribis.

3. DEUS minatur omnibus vocationem respuentibus Prov. 1. *Vocavi te, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo.*

4. Qui gratiam vocantem DEI negligit, meretur, ut alias gratias ei DEUS subtrahat, unde fit, ut talis æternum pereat.

5. Nemo mittens manum ad aranrum & respiciens retro, aptus est regno DEI.

Ut vocationem sequi signum est prædestinationis ad cœlum; ita eam negligere signum est reprobationis.

QUÆSTIO III.

AN adolescenti vocato ad religionem executio vocationis differenda?

¶ 1. Qui sponte sua differunt vocationis executionem, plerumque perdunt; hæc DEI pœna est. Si aliquando vis religionem ingredi, cur non modo? Si non modo, forte nunquam.

2. Certo sibi persuadeat, qui executionem vocationis differt, maximis esse expositum damnis; differre enim est, non velle; ideo Chrysostomus dicit: *Teporis initium est hæc dilatio, & ultimum damoris diverticulum, ut procrastinatione sensim servor intepescat, sicque diabolus facilius eum plene ab hac mente retineat.*

3. Tu non es Conciliis & omnibus Doctoribus sapientior, qui docent posse quemvis iç. ætatis anno elapo, etiam invitis parentibus, religionem ingredi. Certe scriptura teste: *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua* Thren. 3.

4. Non dicas: juvenes non intelligunt, quid ipsis conducibilius fit, nec scire possunt, an vocatio sit a DEO &c.

Qui

Qui enim hodie nescit, quomodo post annum resciat, ubi erit peior, & gratia DEI indignior?

5. Ætas, quo minor, eo aptior est instructioni ; sicuti etiam in omnibus artibus cito juventus applicatur, ut eas tanto perfectius assequatur.
6. Si juvenes diutius maneant in sæculo, cum ceræ mollis instar omnem figuram recipiant, facile malis consuetudinibus assuescunt. Ætas illa ab anno 15. ætatis usque ad 25. summis expressa est periculis.
7. Si Anselmus dicit : *Qui juvenes ingrediuntur, sunt similes Angelis, nunquam lapsi, qui nesciunt, quid sit corruptela, ita religioni assuescunt, ut vix ullam difficultatem sentiant.*
8. Gratius DEO donum est, si id, quod offertur, sit purum adhuc & innocens; ideo dicit : *Finite parvulos venire ad me* Marc. 10. *Crederesne eum esse humanum, qui te donare vellet flore marcido, fructu putrido ? nec tu te DEO offerre debes integritate jam deflorata, mente infecta.*

QUÆSTIO IV.

AN adolescens ad religionem votatus parentibus consensum negantibus obedire teneatur ?

Si

Si parentes rationabiliter sint invitati, quod v.g. sint in extrema paupertate, aut graves oriuntur dissensiones &c. teneris eis obsequi; hinc aliquæ religiones non suscipiunt juvenes, donec consensum a parentibus obtinuerint: quod si vero nulla ratione habita resisterent,

R. 1. Natura indidit quidem affectum tenerum erga parentes; sed præceptum DEI jubet majorem exhiberi DEO!

Qui amat patrem & matrem plus quam me, non est me dignus Matth. 10.

2. Parentes pro te judici non respondent, si vocationem ejus negligas; tui loco nullus infernum intrabit.

3. Sed mater, dicis, nimium contristabitur: respondet Climacas: *Melius est contristari parentes, quam contristari DEUM: fleant illi, modo gaudeant Angeli, fleant illi potius nunc, quam tu feras in eternum.*

4. Sed DEUS jubet, dicis, parentibus obedire. Ita, si nihil contra DEI voluntatem jubeant. Recte Bernardus: *Sola causa non obediendi parentibus, DEUS est. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, non est me dignus.* Matth. 8.

5. Certa est omnium doctrina, posse filium post 15.ætatis annos, in vitiis etiam parentibus, ingredi religionem, & qui

talem impedit, injuriam facit, nisi extrema parentum necessitas aliter præcipiat.

6. Perpende dictum S. Hieronymi Epist.

1. *Licet parvulus e collo penateat nepos, licet sparso crine, & scissis vestibus ubera, quibus te nutriebat, mater ostendat; licet in limine pater jaceat: per calcatam perge matrem, siccis oculis ad vexillum Christi evola. Solam pietatis genus est, in hac re esse crudelēm.*

7. Si te parentes impedire vellent, tu eorum iram & affectus moderate feras, rationes oppone objectionibus, calumnias cum demissione excipe, aliorum intercessione conare eos flectere. Sæpe parentes ideo repugnant, ut videant, an ostendas constantia tua veram vocationem.

8. Parata habe, quæ objectionibus respondas, v.g. dicat Pater: durum esse sibi filio privari. Responde: DEUS dedit Filium Unigenitum pro nobis, & quidem ad mortem tam acerbam. 2. Si Imperator filium vocaret ad suum obsequium, nunquid eo parens privari vellet, cur in DEUM sit minus humanus. 3. Filius magis est DEI quam parentis: quid si filius globo, aut alio casu moreretur?

Frivolæ Objectiones Adolescentium ad religionem vocatorum diluuntur.

OBJECTIONES.

Multi in religione non perseverarunt, fors & ego non perseverabo?

R. 1. Vana hæc objectio est, nunquam a DEO separaberis per regressum, nisi tu ipse volueris; DEUS nullum deserit, nisi, a quo prius deseritur.

2. Si multi non perseverarunt, certe incomparabiliter plures persverarunt: cur timeam potius paucorum, quam plurium exemplum?

3. Qui dedit velle, dabit & perficere; facienti, quod est in se, DEUS non denegabit gratiam.

4. Potuerunt hi & hæ, qui te fuerunt minus apti; cur tu non possis?

5. Si times, te non perseveraturum, nullum deberes statum amplecti; quia nullus est status, qui non aliquibus male cesserit.

6. Dic proinde: *In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Projice te in sinum ejus providentiae: nisi sciret tibi expedire hanc vocationem, non illam tibi dedisset.

O B J E C T I O II.

Possum mundum affectu relinquere.

R. 1. Deserere opes affectu, & non re, vix est possibile; eo ipso, quod te resolvere non possis ad eas res deserendas, satis ostendis, quanto in eas affectu ducaris.

2. DEUS tibi vocationem ingerendo, voluit a te non solum affectu, sed re ipsa mundum & omnia, quæ in eo sunt, deseriri.

3. Relinquere opes, honores affectu bonum est; sed nunquid easdem non solum affectu, sed re ipsa relinquere melius est? cur id amor DEI non possit in te efficere, qui propter te non solum affectu, sed re ipsa cœlum, & in mundo honores, opes &c. deseruit?

O B J E C T I O III.

Aliqui religiosi male vivunt in religione, fors & ego?

R. 1. Nunquid plures bene vivunt? cur te paucorum exempla invitent?

2. Religiosus status laudabilis manet, licet aliqui sunt in eo imperfecti: etiam in schola Christi repertus est Judas.

3. Nullus in orbe status est, in quo DEUS non permittat aliquos labi. Ecclesia DEI sancta est, & tamen multi in ea male vivunt.

4. Si male aliqui vivunt in religione, nunquid plures sine comparatione male vivunt in sæculo ? cur igitur sæculum religioni præferre poteris ?
5. Si aliqui male vivunt , illi de se DEO reddent rationem ; non tu de illis.
6. Qui in religione male vivunt , signum est, quod in sæculo male vixerint , nec rite deliberaverint ; de te autem meliora suppono,



